



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiарvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Deprælationibus dæmonum. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

cum traxit tertiam partē stellarum: quia lucifer ille aliis maior nō solus cecidit, sed cū eo alii mul-
ti qui ei in malitia consenserunt, eosque cadentes
hui⁹ caliginosi aëris habitaculum excepit. Et hoc *Ephes. 6. b.*
ad nostram probationem factum est, ut sit nobis
exercitationis causa. Vnde Apost. Colluctatio est
nobis aduers⁹ principes & potestates mundi hui⁹, *Iean. 14. d.*
& aduersus rectores harū tenebrarum, cōtra spi- alias mūdi,
ritualia nequitiae in cælestibus, quia dæmones qui
sunt spirituales & nequam, in hoc turbulentō
aere nobis propinquo, quod cælum appellatur
habitant. Vnde & diabolus princeps aeris dicitur.

*Quod non est concessum eis habitare in cælo
vel in terra.*

C

Non enim est eis concessum habitare in cælo, *4. Petr. 2. b.*
quia clarus locus est & amenus: nec in terra nobis
cum, ne homines nimis infestarent. Sed iuxta A-
post. Petri doctrinā in epistola canonica traditā,
in aere isto caliginoso, qui eis quasi carcer usq; ad
tempus iudicij deputatus est: tunc autem detru- *Matth. 15. d.*
dentur in baratum inferni, secundum illud. Ite
maledicti in ignem æternum, qui præparatus est
diabolo & angelis eius.

*Quod dæmones alii aliis præsunt, & habent etiam a-
lias prælationes.*

D

Et sicut inter bonos angelos alii aliis præsunt:
ita & inter malos alii aliis prælati sunt, & alii aliis
subiecti, quamdiu durat mundus, angelis angelis,
dæmones dæmonibus, homines hominibus præ-
sunt. Sed in futuro omnis euacuabitur prælatio,
ut docet Apostol. Habent quoque secundum mo- *1. Cor. 15. &*
dum scientiæ majoris vel minoris, prælationes a-
lias maiores vel minores. Quidam n. vni prouincie, aliivni homini, aliqueti à vni vitio præsunt. Vnde
dicitur spir. superbię, sp. luxurię, & huiusmodi, ga-
de illo vitio maxime potest homines tentare, à
quo,

quo denominatur. Inde etiam est, quod nomine dæmonis diuitiæ vocatur, scilicet Mamona. Est enim Mammon nomen dæmonis: quo nomine vocantur diuitiæ secundum Syram linguam. Hoc autem non ideo est, quod diabolus in potestate habeat dare vel auferre diuitias cui velit: sed quia eis utitur ad hominum temptationem & deceptiōnem.

*An omnes dæmones sint in hoc aere caliginoso,
an aliqui sint in inferno.*

Solet autem quæri, Vtrum omnes in isto aere caliginoso sint: an aliqui iam sint in inferno? Quod in inferno quotidie descendant aliquid dæmonum, verisimile est, qui animas illuc crucandas deducunt: & quod illic aliqui semper sint, alternatis forte vicibus non procul est à vero, qui illic animas detinent atque cruciant. Quod autem animæ malorum illuc descendant, atque illic puniantur, ex eo constat, quod Christus ad inferos descendit, vt iustos qui ibi tenebantur, educeret. Si n. iusti illuc descendebat, multo magis iniusti: & sicut tradidit auctorit. cū iustos eduxit, iniquos ibi reliquit, Momordit. n. infernum nō absorbuit. Quidam putant luciferum esse in inferno religatum, ex quo tentauit Christum & vicit fuit: quem dicunt pri-
mum hominem tentasse & viciisse.

De lucifero autem quidam opinantur, quod ibi religatus sit, & ad nos tentandos nunc accessum non habeat: quia in Apocal. legitur: Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Sathanas de carcere suo, & exierit, & seducet gentes: quod erit nouissimo tempore Antichristi: quando erit tanta tribulatio, vt etiā si fieri potest, moueantur electi. Quem ibi relegatum dicunt ab eo tempore, quo tentauit Christum in deserto vel in passione, & vicit fuit ab eo. Ipsū putat primū hominem tentasse & viciisse: & secundo Deum, sed ab eo vicitum esse, & ideo in infer-

Osee 13. d.

Apoc. 20.

Matt. 24. 4.